



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Cap. 1. Quid sit excommunicatio, quotuplex & quomodo differat ab alijs  
pœnis Ecclesiasticis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

# EXCOMMVNICATIONE

Circa Quaestionem 21. 22. 23. & 24.

**T**Ractationem de Excommunicatione diuidimus in septem Capita. Primum Caput, *Quid sit, quoruplex, & quomodo differat ab alijs penis Ecclesiasticis.* Secundum Caput, *Quos effectus habeat.* Tertium Caput, *Quis possit excommunicare.* Quartum Caput, *De causa excommunicationis.* Quintum Caput, *Quae requirantur, vt sit valida, & vt quis eam incurrat.* Sextum Caput, *Quo iure excommunicati sint vitandi.* Septimum Caput, *De absolutioe ab excommunicatione.*

## CAPVT I.

*Quid sit excommunicatio, quoruplex, & quomodo differat ab alijs penis Ecclesiasticis?*

<sup>2</sup> Differentia inter Anathema & Excommunicationem.

**N**Otandum Primò: Excommunicationem significare separationem à Communione Fidelium: Graecè dicitur *Ἀνέθνημα*, quia excommunicatus est veluti piaculum, & res exterminanda, vt Deus placetur. Concilia tamen hoc nomen Anathematis potissimum vsurpant in damnandis haereticis & haereticis. In alijs plerumque vtuntur nomine *Excommunicationis, Separationis, vel Absentionis*; vt videre est, tum alibi, tum in Tridentino sess. 13. can. vltimo. Vide Couarruuiam in Cap. Alma, 1. parte §. 8. num. 6.

Communio fidelium triplex.

Notandum Secundò: Esse triplicem communionem inter Fideles: Prior, Interna per fidem & charitatem. Secunda est, Partim interna, partim externa; scilicet in Oracionibus, Sacrificijs, & Sacramentis: res enim ipsae externae sunt, sed fructus earum est internus. Tertia est, Omnino externa, quae posita est in conuictu humano, in conuiujs, colloquijs, salutationibus, contractibus, & alijs huiusmodi congressibus. His positis: Constat excommunicationem nõ tollere primam communionem, sed eam supponere: hæc enim tollitur per solum peccatum: tollit autem excommunicatio secundam, & tertiam.

## DVBIVM I.

*Quid sit excommunicatio?*

<sup>3</sup> Explicatur definitio Excommunicationis.

**R**espondeo: Definiri rectè potest, *Censura Ecclesiastica, quae separatur homo à communione Sacramentorum, & conuictu Fidelium.*

Dixi, *Censura*; vt excludatur irregularitas, proueniens non ex delicto, sed ex defectu lenitatis in Iudicibus, vel significationis in bigamia. Et si enim irregularitas proueniens ex delicto, sit vera & propriè dicta censura Ecclesiastica, id est, animaduersio & punitio Ecclesiastica, vt rectè docet Sorus dist. 22. quaest. 3. art. 1. & Medina 1. 2. quaest. 106. art. 4. & multi alij recentiores: tamen ea, quae non prouenit ex delicto, censura

non est. Quò fit, vt irregularitas in genere non sit censura, sed abstrahat à ratione censurae.

Similiter excluditur *Degradatio*, & *Cessatio à diuinis*, quae etiam propriè non sunt censurae; vt docet Nauarrus cap. 27. num. 166. Quamuis hæc etiam alio modo excludi possint; quia hæc non separant à conuictu Fidelium.

Dixi, *Ecclesiastica*: quia potestas ciuili non potest aliquem excludere à communione Sacramentorum, imò nec propriè à conuictu Fidelium, sed sola Ecclesia.

Dixi, *Quae separatur homo à communione &c.* vt distinguatur à *Suspensione*, & *Interdicto*. Nam *Suspensio* solum excludit ab vsu officij vel beneficij, & solum personam Ecclesiasticam contingit: à perceptione autem Sacramentorum & conuictu Fidelium non excludit. *Interdictum* verò non separat à conuictu Fidelium; sed solum à diuinis officijs Sacramentis, & Ecclesiastica sepultura, prohibens directè ipsas officijs Ecclesiasticis, Sacramentorum, & sepulturae actiones.

## DVBIVM II.

*Quoruplex est excommunicatio?*

**R**espondeo: Variè diuiditur. Prima diuisio: Alia est *Maiores*, quae priuat Sacramentis & conuictu Fidelium. Alia *Minor*, quae solum priuat Sacramentis percipiendis. Hæc solum incurritur participatione cum excommunicatis denunciatis vel cum notorijs percussoribus Clericorum; nec inducit irregularitatem; vt patet Capitulo *Si celebrer*, de Clerico excommunicato. Olim etiam ab homine infligebatur per sententiam, & à iure in omni sacrilegio: verum hæc iam desita sunt.

<sup>4</sup> Maior Minor.

Secunda diuisio: Excommunicatio, Alia est à iure. Alia ab homine. *À iure* sunt, quae fiunt à Papa, vel Synodo vniuersali; vel particulari; vel centè à Papa confirmatur; & hæc semper durant, etiãsi Auctor moriatur. *Ab homine* sunt, quae fiunt per modum mandati vel sententiæ: hæc expirant, id est, non ampliùs incurruntur mortuo auctore, vel deposito ab officio. Vnde patet *Excommunicationes Bulla Cane Domini* partim censi esse à iure, quia mortuo Pontifice non expirant, partim ab homine, quia quot annis renouantur.

À iure.

Ab Homine.

Excommunicatio Bulla Cane ex his mixta.

Tertia diuisio: Excommunicatio, Alia est *lata sententia*. Hæc ipso facto incurritur: vt cum dicitur, *Qui hoc fecerit, ipso iure vel ipso facto sit excommunicatus*, incurrat excommunicationem, vel *subiacet excommunicationi*, vel *excommunicamus talem*. Alia est *ferenda, seu comminatoria*: vt cum dicitur, *Qui hoc fecerit, excommunicetur*; vel, *Prohibemus sub pena excommunicationis*. Denique cum dicitur, *Sit excommunicatus*, ordinariè intelligitur excommunicatione ferendâ, nisi aliunde cõstet contrarium, iuxta Nauarrum cap. 27. num. 12.

Lata sententia.

Comminatoria.